DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PNEUMONIA.

AUCTORE ROBERTO HENDERSON.

NON ullum viscus humani corporis magis quam pulmones inflammationi obnoxium est, et nullus morbus attentionem medici meliori jure sibi vindicat, quoniam munera, quibus funguntur, tam maximi momenti sunt, et ad vitam tam necessaria, ut, non sine magno incommodo, et etiam vitae discrimine, per tempus omnino breve, suspendi aut interrumpi possint.



Varia nomina, inflammationibus thoracis, quoad partes quas afficiunt, a medicis tribuuntur. Si pleuram adoriatur, Pleuritis, si substantiam pulmonum, Pneumonia morbus nominatur; sed hae omnes, ut varietates ejusdem morbi considerari possunt. De aliis varietatibus hujusce morbi quoque, multum discriminis inter auctores est. Quidam Pneumoniam in *veram*, *spuriam* et *putridam* dividunt. Cum videtur illis morbum ab spisso sanguine, vasa obstruente, originem ducere, nominata fuit *vera*; cum ab materia viscida, similes effectus inducente, *spuria*; et *putrida* cum signa putredinis ostendit. Sed fines, quae vulgo dissertationibus hujus generis praescriptae sunt, haud sinunt me, de hac re de qua ambigitur in arenam descendere; itaque tantum mihi restat, quaedam de morbo ipso, modestia qua decet, proferre.

Definitio Pneumoniae ita nobis datur a cel. CULLENO: "Pyrexia; dolor in quadam "thoracis parte; respiratio difficilis; tussis."

HISTORIA MORBI.

Morbus plerumque horrore et aliis vel aliis signorum pyrexiae incipit; at nonnunquam, sed raro, nec pulsus acceleratur, neque calor corporis omnino augetur. Interdum pyrexia, ab prima aggressione, pulsu duro, pleno, valido, et frequenti, siti magna, lingua arida et sorde obsessa, urina rubra, cute arida, cum magno calore, et aliis symptomatibus morbi comitatur; sed saepenumero quoddam pyrexiae adest per aliquas horas, priusquam propria symptomata sese ostendunt, praecipue ante adventum doloris; pulsus plerumque est frequens, plenus, validus, durus et celer, sub digito vibrans sicut chorda tensa instrumenti musici; sed in stadio provecto morbi, fere debilis, mollis et interdum inter-

mittens evadit. Difficultas spirandi, praesertim sub inspiratione, semper adest. Respiratio vel facilius vel aegrius perficitur, secundum positionem qua aeger utitur: fere gravior est cum in latus affectum decumbit, sed nonnunquam se aliter habet: interdum aeger nec in sinistrum, nec dextrum latus, sed tantum supinus jacere potest. Interdum, nisi corpus erectum sit, vix et ne vix quidem spirare potest. Tussis nunc saevior, nunc mitior semper hunc morbum comitatur; nonnunquam versus initium sicca, sed frequenter exscreatione per omnem decursum morbi stipata: sputum multum variat, et in colore et spissitate; interdum est tenue, interdum glutinosum, et saepe sanguine interstinctum.

Dolor interdum in alia, nunc in alia thoracis parte situs est, sed plerumque in uno latere. A quibusdam dicitur latus dextrum saepius affici quam sinistrum; sed hoc parum constat: saltem omnibus bene notum est, hoc

quoque ei valde obnoxium esse. Dolor interdum sub sternum, interdum inter scapulas sentitur. Cum dolor in lateribus situs est, quanquam nulla pars eorum non affici possit, tamen medium sextae vel septimae costarum, vel paululum propius sterno, frequentissime occupat: saepe acutus et violentissimus est, sed nonnunquam obtusus, cum ponderis potius quam doloris sensu: sed plerumque saevissimus est, cum partes proxime memoratas invadit: plerumque est fixus, sed nonnunquam versus scapulam ejusdem lateris, vel ad sternum et claviculam jaculat. Inflammatio in una parte pleurae praecipue oriri, et ibi permanere possit; sed haud raro per omnem fere hanc membranam extendit. Alvus plerumque astricta est, sed nonnunquam fluida observatur. Urina sedimentum lateritium deponit. Initio morbi, cutis dura et sicca est, sed in progressu ejus mollior evadit, et sudor prorumpit. In quarto vel quinto die, interdum remissio manifesta accidit; ab hoc aeger

saepe magnam spem salutis concipit, et illum et medicum interdum multum fallente, nam saepenumero, omnia symptomata morbi, et etiam valde aucta, redeuntur, majus periculum aegro minitantia. Omnes fere medici, experientia docti, nunc persuasi sunt, sanguinem in hoc morbo detractum haud semper superficiem coriaceam ostendisse. Omnia symptomata, quae jam enumeravi, haud ita in decursu morbi occurrunt, sed sese vel mitiora vel graviora ostendunt, secundum violentiam morbi. Cum morbus versus finem infaustam vergit, omnia haec signa infelicia multum saeviora fiunt: respiratio maxima cum difficultate perficitur, et animae functiones multum afficiuntur: extrema frigida sunt: sudores frigidi per cutem erumpunt: oculi hebetes et languidi fiunt, et tandem miserrimus aeger, morbo penitus confectus, aggressionibus ejus succumbit.

DIAGNOSIS.

Catarrhus, peripneumonia notha, gastritis, pleurodynia, inflammatio cordis et diaphragmatis, sunt morbi, qui in signis haud multum absimiles pneumoniae sunt. Si catarrhus sit mitis, et nihil praeter gravedinem, coryzam, et epiphoram, comitatur, facile ab pneumonia distingui possit; sed si gravior sit, et si morbus versus pulmones quoque extendit, difficillime est: sed hoc haud multum interest medici, nam methodus curandi in hoc et illo non diversus est, et catarrhus in hoc statu facile in pneumoniam permutatur.

Peripneumonia notha, celeberrimis medicis, et praecipue Culleno et Gregorio judicibus, in modo, non in re a pneumonia dif-

fert. In hoc morbo symptomata sunt mitiora, et sensus ponderis in thorace, potius quam dolor ea comitatur. Illi, quorum vires et valetudo praegressis distillationibus franguntur, huic valde obnoxii sunt, et illi qui sunt aetatis provectioris, et qui multum usui spirituum ardentium dediti fuerant. Pneumonia, contra, eos qui sunt validi et robusti et corporis pleni praecipue adoritur: hinc multum, quoad remedia, quae in curatione eorum sunt adhibenda, inferri possit; nam haud raro evenit peripneumoniam notham valde auctam esse venae sectione, et ratio hujus rei plane se ostendit, ut plerumque in phlegmaticis corporibus senum observatur.

Hepatitis ab pneumonia distingui possit, dolore in hypochondrio dextro sito, pressura aucto, interdum ad claviculam et summum humeri dextri tendente: hypochondrium dextrum saepe tumidum est; tussis sicca, vomitus, singultus, decubitus

in latus sanum difficilis, plerumque adsunt. Color vultus in flavescentem saepe mutatur, dum facies in pneumonia rubra, et sanguine turgida observatur; haec suppurationi, illa effusioni proclivior est.

Gastritis, dolore ardente in regione ventriculi, pulsu parvo et duro, magna virium prostratione, vomendi cupiditate, omnibus ingestis, tam fluidis quam solidis, protinus rejectis, dignosci possit. In pleurodynia, ut rheumatismus musculorum thoracis et praecipue intercostalium nominatur, febris tantum lenis est, dolor circa articulos eodem tempore sentitur, non tussi aut exscreatione comitatur, pars affecta saepe tumet et rubet, dolor omni motu corporis, quamvis lenissimo, multum augetur. Valde difficile est inter pneumoniam et carditidem dignoscere; sed, ut ratio curationis in ambobus eadem est, vix necessarium est.

Symptomata, quae ei propria esse dicuntur, sunt pulsus inaequalis, dolor in regione cordis, anxietas, palpitatio, syncope.

CAUSAE.

Homines habitus robusti et pleni, praecipu si *diathesis phlogistica* quoque adest, maxime huic morbo obnoxii sunt: hinc viri quam foeminae multum ei procliviores sunt, et in medio potius quam in ultimo stadio vitae; sed nulla aetas, nullus sexus vel habitus corporis non aggressionibus ejus objiciuntur: omne genus populorum, an sunt divites, an pauperes, invadit: plerumque hyeme et vere, sed etiam in omnibus aliis tempestatibus, in quibus magnae mutationes coeli sunt, observatur. Thorax male conformatus procul dubio huic morbo praedispo-

nit. Qui luxuriose vivunt, qui multum cibis conditis et potionibus meracioribus utuntur, praesertim eo tentantur. Eruptiones retropulsae, evacuationes suppressae, metastasis aliorum morborum, ut podagrae et rheumatismi, nonnunquam ei originem praebent. Si aliquis antea morbo laboraverit, reditus ejus ab causis minimis induci possit.

Variae sunt causae eum excitantes, ut inhalatio vaporum acrium, vulnera, et vis externa thoraci illata, exercitatio vehemens pulmonum vociferando, cantando, multum et clare loquendo, instrumentum musicum inflando, &c. Status peculiaris aëris dicitur quoque interdum eum excitare, eodem in modo ut morbi contagiosi disseminantur; sed hoc adhuc parum compertum est. Sed causa ejus frequentissima est frigus corpori calefacto admotum, fluxum perspirationis subito supprimens, et majorem molem sanguinis versus pulmones, et alias partes internas

dirigens. Plurimi morbi quoque pneumoniam vel excitant vel comitantur, praesertim distillatio, rubeola, podagra, scrofula et scorbutus.

PROGNOSIS.

Prognosis in hoc morbo, ab statu symptomatum, magna cum cura semper deducere debemus. Si febris sit vehemens, et cum delirio stipata, et dolor ab uno ad alterum latus transeat; cum materia exscreata foetida est, et nigri coloris, vel cum sputum subito supprimitur, vel subitanea cessatio doloris accidit; cum aeger haud spirare potest, nisi corpus erectum sit, (quod orthopnoea nominatur), et etiam tunc magna cum difficultate; et si his adjicere possumus, faciem turgidam et lividam, pulsum debilem et intermitten-

tem, artus humidos frigido sudore, terminatio infelicissima est expectanda. Sed, contra, cum febris lenior evadit, et difficultas spirandi imminuitur, et dolor quoque, qui vix tussi et plena inspiratione concitatur; si eruptio erysipelatosa ad partes externas corporis erumpit; si haec symptomata mitiora liberae expectorationi superveniunt, et materia exscreata est spissa, flavi coloris, et sanguine interstincta; si criticae evacuationes quoque eveniunt, ut fluxus sanguinis e naribus et venis haemorrhoidalibus, diarrhoea, vel aequabilis et libera perspiratio per cutem, urina quoque sedimentum copiosum lateritium deponens, et praecipue si remedia idonea ad curandum morbum prius adhibita fuerant, faustum exitum morbi expectare possumus.

MORBI TERMINATIONES.

PRAETER tres terminationes, quae omnibus inflammationibus accidere solent, nempe resolutionem, suppurationem, et gangraenam, alia sibimet propria, scilicet effusio, pneumoniae occurrere possit.

Resolutio—plerumque evenit ante septimum diem morbi, idoneis remediis probe adhibitis, sed interdum citius an serius. Cum inflammatio in resolutione terminat, remissio doloris et tussis accedit, et respiratio eodem tempore facilior evadit, quibusdam evacuationibus insignibus comitantibus, ut copiosus fluxus urinae sedimentum libere deponentis, diarrhoea biliosa, diaphoresis per omnem superficiem, epistaxis, vel fluxus haemorrhoi-

dalis. Sed evacuatio, quae frequentius et certius morbi finem imponit, est expectoratio libera et copiosa muci spissi, albidi, vel subflavi, leviter sanguine tincti.

Suppuratio.—Cum remedia idonea ad inflammationem submovendam vel neglecta fuerunt, vel sub adversis avibus adhibita, in suppuratione terminare possit. Hic eventus dignoscitur symptomatibus morbi ad quartum decimum usque diem perstantibus, accessione rigorum, et remissione quorundam symptomatum, et tandem etiam febre hectica, cum exacerbationibus vespertinis et pulsu frequente adstantibus. Suppurationem jamjam formari, certiores facti sumus, remissione evidente doloris, qui antea gravior fuit, ab suppressione expectorationis, dum tussis et dyspnoea perstant, vel potius augentur, sensu plenitudinis in thorace, et decubitu in latus affectum faciliore evadentibus. Haec symptomata de die in diem graviora facta,

tandem abscessus rumpit, et pus vel in substantiam cellulosam pulmonum infunditur, instantem mortem aegro minitans, vel in cavum thoracis, empyema, et postea phthisin pulmonalem vel hydrothoracem, pariter lethalia, inducturum.

Interdum, sed raro evenit, pus in quantitate haud parva expui, et aegrum, post maximum periculum et discrimen vitae, tandem convaluisse.

Gangraena.—Terminatio pneumoniae in gangraena rarissima est. Quandocunque occurrit, ab signis sequentibus, secundum Rotheram, dignosci potest: Sputum est purulentum, atro sanguine tinctum; halitus oris foetidissimus est; peculiaris strepitus in respiratione, vultus collapsus, oculi tenebris obducti, et pulsus valde debilis observantur; sanguis, cum emittitur, haud ullum superficiei coriaceae ostendit; sedes virides et frequentes

elabuntur, et urina ruberrima, sedimentum squamosum deponens, redditur.

Effusio.—Cum expectoratio subito supprimitur, et sensus suffocationis, respiratione difficillima et valde laboriosa stipatus, sentitur, cum remissio doloris accidit, et facies et collum turgida et livida fiunt, effusionem in substantiam pulmonum jam adesse plane indicatur : hoc, circuitu sanguinis per pulmones impedito, aeger subito morbo succumbit.

Interdum pneumonia, quamvis lenis ad initium, in infausta effusione terminat, sine ullis indiciis aut symptomatibus gravioribus factis, talem exitum indicantibus. Interdum vasa nimium distenta rumpuntur, et ita sanguis in substantiam cellulosam pulmonum infunditur. Sed cum vires multum exhaustae sunt, ob longum spatium per quod morbus persliterit, effusio seri, vel tenuioris partis sanguinis tantum accidit. Valde dubium est

an pneumonia unquam in schirro terminat. Cum tubercula in pulmonibus inveniuntur, verisimile est ea ante adventum morbi extitisse, et tantum in decursu ejus incrementum accepisse. Sed non in hoc loco aliquid dicere de his tuberculis proposui, quoniam de hac re tam multum apud auctores disseritur.

RATIO MEDENDI.

Nullus alius morbus promptius auxilium medici postulat, et in nullo fortasse remedia probe adhibita plus perficere possunt, quam in curatione pneumoniae. Nunc mihi tantum restat quasdam observationes tradere de remediis quibus utimur ad hanc finem faustam inducendam ; et cum venae sectione, ut principe omnium, incipiam.

Inter remedia, quibus medici in hoc morbo ad solvendam inflammationem resolutione utuntur, emissio sanguinis optimo jure primum locum tenet : hanc nunquam negligere debemus ; nam est sacra anchora omnis spei, itaque ad ipsum initium morbi ad hanc semper confugiendum est. Semper necessarium est sanguinem abstrahere vulnere quam maxime amplo ; nam nunc probe compertum est, parvam etiam quantitatem in hoc modo abstractam plus beneficii edere, quam multum major tenui rivo emissa ; et altero modo quoque, quamvis symptomata inflammationis parum levantur, tamen vires ex aequo exhauriuntur, et maxima cura adhibi debet, ne multum debilitatis induceretur, in morbo in curatione cujus evacuationes tam magnae postulantur.

Quantitas sanguinis, quam detrahere opus sit, secundum violentiam symptomatum, vires et aetatem aegri, et habitum corporis

multum variabit. Si difficultas spirandi et dolor, dum sanguis effluit, haud multum levantur, usque ad syncopen inducendam fluere sinamus; et ad proclivitatem in hunc statum favendum, positura erecta aeger uti debet. Raro evenit aegrum prima abstractione multum levari; itaque, nisi manifesta remissio accideret, venae sectio repeti debet, iterum iterumque eodem etiam die, secundum dolorem, dyspnoeam, et alia symptomata vehementia.

Sed medicus peritus ac sagax semper curabit, ne nimium sanguinis abstraheretur, quod haud minus periculi quam morbus ipse inferret. Si sanguis in vas idoneum missus haud coit, et superficies non crustam coriaceam ostendit, sed tenuis restat, venae sectio inconsulte non iterum tentari debet, ut magnam debilitatem induceret, qua vel sanitas difficilis foret, vel originem morbis magis periculosis quam pneumonia ipsa daret. Nec superficies coriacea semper indicat e-

missiones sanguinis iterari posse sine periculo; nam sunt quaedam exempla aegrorum, in quibus mors, nimia detractione sanguinis, inducta fuit, quamvis sanguis per omne tempus hanc speciem induerat.

Venae sectio magis valebit si initium versus morbi perficitur. Quidam putant, hanc non tantum inutilem esse, sed etiam valde periculosam, cum morbus ultra diem quintum vel sextum perstiterit; sed, me judice, cum vires aegri haud multum minuuntur, cum symptomata graviora ingravescere pergunt, et cum suppuratio vel expectoratio adstantes non indicantur, venae sectio, ad quemcunque diem morbi erit, non tantum sine periculo, sed et etiam felicissime adhiberi possit.

Usus epispasticorum quoque est alterum remedium magni momenti, et in hoc morbo, et in aliis inflammatione pendentibus: ita-

que, praeter venae sectionem, vesicatorium amplum in partem maxime dolore affectam imponi debet; et cum sanari incipiat, alterum imponatur in vicinitate situs alterius, ut irritatio assidua efficeretur. Hic modus antiponi debet illi, in quo pars in ulcus convertitur unguentis stimulantibus, ut saepe suasum est, vesicatoria multum dolorem levant, et saepenumero necessitatem iterum emittendi sanguinem praecludunt. Sed ad initium morbi, ante usum scalpelli, vesicatoria erunt injuriosa, itaque nunquam admoveri debent priusquam idoneae evacuationes adhibitae sunt.

Cathartica acria haud adhibenda sunt, propter vim, quam habent, augendi fluxum sanguinis versus partes internas: itaque, alvus soluta tenenda est tantum remediis naturae mitis et refrigerantis; ut senna, sulphate magnesiae, ol. ricini, &c. Clysma-

tibus emollientibus quoque subinde uti debemus.

Cum praeparationes antimonii in hoc morbo usurpantur, necesse est ut summa cum attentione fieret, ut tam aptae sunt ad vomitum excitandum, qui valde periculosus erit ; itaque, cum adhibeantur, debet esse in parvis quantitatibus tantum, ut nauseam solum inducant.

Sudorem inducere certe magni momenti in hoc morbo est ; sed fortasse medicamentis diluentibus et refrigerantibus melius excitari possit ; ita, pro hac re, nitrate potassae cum ammonia juncto, citrate potassae vel ammoniae, vel acetate ammoniae uti possumus.

Blanda tepida diluentia, cum pediluvio juncta, etiam magnum commodum inferunt ; quia perspirationem eliciunt, et irritationem,

tussim et sitim imminuunt. Decoctiones hordei melle temperatae, vel decoctiones glycyrrhizae, multum prosunt. Vapores quoque aquae, vel aquae cum aceto mistae, saepe in pulmones inhalatae, multum conferunt ad levandam tussim, et ad expectorationem promovendam. Demulcentia oleosa vel mucilaginosa debent libere dari per omnem decursum morbi, et remedia hujusce generis maxime idonea sunt: haec ex gummi mimosae niloticae et saccharo, ex oleo amygdalae dulcis vel spermateceti formata.

Ut expectoratio putatur esse symptoma valde optandum, varia medicamenta ad eam excitandam adhibita sunt; ut gum. ammoniacum, scilla maritima, et similia: sed opinor, omnia haec remedia, propter vires acres et stimulantes, haud danda; sed haec naturae mucilaginosae, quae irritationem et tussim minuunt, tantum utilia invenientur.

Ad initium pneumoniae opium valde injuriosum erit; sed in stadio provectiore morbi, cum symptomata meliora facta sunt, et cum tussis est signum maxime molestum, et praecipua causa doloris et pervigilii, multum proderit, ad tussim levandam et ad somnum inducendum, et quoque putatur id expectorationem promovere ac perspirationem inducere, et, secundum opinionem HAMILTON de Lynn-Regis, omnia haec certiora et feliciora perficiuntur, si cum calomelane junctum sit.

FINIS.